Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

Molter, Johann

[Karlsruhe], 1783-1800

[Liebenstein, Ludwig von]: Gemania laudes oratione depradicavit, 14 Juni 1798

urn:nbn:de:bsz:31-99849

Visual Library

Germaniæ laudes
oratione deprædicavit
Ludovicus de Liebenstein, Jur. Stud.
Die XIV. ante Calendas Jun.
MDCCXCVIII.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Director spectatissime!
Socii honoratissimi!

Cunctos ferme homines non plane rudes et ingenuae cujusque scientiae non omnino pertaesos maxime historia attrahit, afficitque laetitia. Perducit quippe nos ad veram vivendi sapientiam, viam suavissimam et comodissimam aperiens. Dulcem nobis praebet voluptatem humanum genus commonstrans in primis initiis inecultum et bestiis paene aequalem, mox autem vires expedientem excellentes, tunc mores etiam emollientem et longius indefesso pede progredientem, donec ingentem illam et fere stupendam copiam virium, qua nunc utimur, ex se ipso solutam sit nactum et decoram ac propediviam, qua nunc gaudemus, humanitatem assequutum sit. Magnas istas gentes ab exiguis principiis ortas, in dies tunc crescentes, et demum totius paene orbis terrarum imperium obtinentes venerationis et admirationis pleni conspicimus, tum vero sensim comminutas et ipsarum mole fractas concidentesque valde commoto ac tristissimo animo dolemus. Ingentes, quos historia praedicat heroas

ardente phantasia abducti in pericula prosequi,
mur, proeliaqs cum illis committentes vincentesqs,
gaudio exsultamus, et oppressos veluti familiares
lugemus. Sed mira atque insigni quadam dulce,
dine patriæ historia nos delectat, utpote qui præ,
claris patrum factis, ac si ipsi fecissemus, de oblecta,
mur, patrum gloriam in nos conlatam decoris
aliquid nobis addere opinamur, patrumqs ingen,
tibus rebus gestis superbia quadam efferimur, ita
ut alios populos. talibus avis omnino non ornatos
despiciamus, et inferius quoddam genus hominum
fere arbitrantes societate nostra dedignemur. Cum
vero nullus in universa Europa populus habeat,
quod majorem a patria sibi vindicet dignitatem,
quam Germanus, non alienum duxi, patriæ lau,
des oratione deprædicare, hunc mihi disserendi or,
dinem proponens, ut in prima orationis parte in,
tegritatem morum inter veteres Germanos laudi,
bus tollam et rebus gestis eorum in secunda exposi,
tis in tertia denique parte nostam Germaniam
et nunc cunctis terris præstare ostendam.

I.

In antiquissima redeuntes tempora priscos Germanos tales semper fuisse invenimus, ut vel inclytus ille Tacitus ad intuendum imo vero ad imitandum Romanis suis depravatis exemplum eos proponere minime dubitaret. Quae integritas illorum tot et tam egregie celebrata primum stare mihi videtur inconcussa fide. Nihil inter veteres Germanos fide data sanctius habebatur. Pericula et omnismodi cruciatus imo vel mortem subire, quam fidem datam violare maluerunt; et si quis adeo turpitudinis procederet, ut laesam fidem negare non posset, mulcta ignominiosa atque perenni adfectum bonus quisque et honestius fugiebat. Non minor inter amicos familiaritatis mutuae stabilitas erat ac tantum aberat, ut in periculis et ancipitibus rebus fides frangi potuisset, ut potius quisque omnia infelicia tristiaque cum amico perferre, ardua omnia et paene temeraria pro illo conari, quam sacrosanctum amicitiae foedus violando quibuscunque deliciis vitae et sorte vel beatissima frui, melius honestiusque arbitratus sit.

Porro Germanis miram eorum sinceritatem et cujus-
libet fraudis plane expertem probitatem summo
fuisse decori nemo mortalium inficiabitur. Non nisi
honesta patrans ubicunqs vir Germanus animum
præ se ferebat sincerum. Probitatem diligenter cu-
stodiens ad extrema perpetienda potius erat para-
tus, quam ad defendendum sese insidiis. Cuncta in-
cepta, et vel faustissima, si non nisi astutia ad
finem perducere potuit imperfecta et in medio su-
spensa relinquere, ac subdoloso et fallaci modo prose-
qui pius Germanus satius duxit. Sin quis a patria
dexteritate et sinceritate adeo aberraverit, ut foe-
dis consiliis per nefas dolumqs satisfacere studuerit,
populares patriæ gloriæ ab omni macula diligen-
ter custoditæ memores sceleratum, qui patria ter-
ra gaudeat indignum e medio ejecerunt, cujus rei
clarissimum exemplum historia Segestum prædi-
cavit.

Plurimum autem Germanus imperterrito animo
et indevicta fortitudine enituit. Bellator quippe
Germanus, cui persuasum fuit, fore, ut in Wal-

halla aliquando splendidissimum virtutis præmium et egregium honorem a Wodano, Deorum principe, accipiat, inconcusso animo periculis obviam ivit, mortis plane oblitus in hostes se contulit, aciem fregit, atque in ordinibus mortem dispersit, in resistentes furore cruento Marti ferme æquandus, in devictos autem benignus clemensque. Quam plurimos interfecisse hostes, ex pugnis quam plurimis victor rediisse, quam plurimis in adverso corpore ornatum esse cicatricibus, bonumque et acrem bellatorem a popularibus prædicari, Germanus in maximis votis habebat, hic summus labor erat, hic summus honoris gradus ei adpetendus videbatur, cum contra secorde pugna fugiens scutumve relinquens indelebile dedecus sibi comparavit.

Denique assiduum libertatis studium inter Germanos dignum mihi videtur, quod ab aliis populis maxima admiratione celebretur ac exemplum sumatur. Libertatem ille summum rebatur bonum, cuncta sua vitamque ipsam sacrans

pro libertate omnia conatus est, nisi flagitiosa. Omnia magis quam turpe servitium perpessurus in adversissima fortuna et cunctarum suarum rerum ruina, ut libertatem modo salvam habeat summa opera adlaboravit, quam vero servare posse ubi desperavit nobili quodam pudore et honoris sensu accensus mortem sibi plerumque conscivit.

His vero magnis et egregiis perficiendis par sane non fuerit Germanus, nisi juvenis virtuti et bonis artibus sedulo incubuisset, voluptatibus deterrimis, quae optimos saepe juvenes omnibus bonis honestisque minime idoneos reddunt, neutiquam vacans. Armis periculisque et rei venatoriae innutritus laudabili quodam ardore, et honoris desiderio flagrabat, et inexhausta pubertate salvaque castitate, cum vir evasit, magna quaque et decora patrare poterat.

Nec virtutis laude viris cessere foemina, praecipue insignes firmissima erga maritos fide. Pietate quippe amantissima maritum prosequens

uxor diligentissimum ei praestabat obsequium; atque luxuriam libidinemque minime destinationem suam rata secundas ac adversas vitæ fortunas cum illo partiendo secundas suaviores, levioresque adversas ei reddere studuit, summamque curam liberorum educationi impendens, ut civitati bonos tribuat cives operam dedit. Quum prœliis periculisque, armis et venationi maritus vacaret, solertissima industria rem domesticam curavit, idque egit, ut ille e laboribus belli reversus ex consuetudine et amore optimæ conjugis dulcem illam voluptatem hauriens, quam vera amicitia cum integritate vitæ conjuncta præbet, cunctarum molestiarum libenter oblivisceretur. – Nec vero, quum de communi salute agebatur, et de patriæ rebus in discrimine quodam hærentibus dubio Marte pugnabatur, domi mansere fœminæ, sed potius in aciem maritos secutæ blandiendo et adhortando ad fortitudinem impulerunt, testes ac laudatrices, seu vituperatrices rerum gestarum applausu ad præ-

clara conanda inflamavere, et aliquoties (egregium dictu) jam jam succumbentes viros ab instantis hostis impetu defenderunt mortem pro illis libenter suscipientes.

Quum praeclarissimos avorum nostrorum mores satis dilucide mihi ostendisse videar, ordinem mihi propositum prosequens, jam ad secundam orationis partem pervenio, qua illustres eorundem Germanorum res gestas, si non displicet, breviter enarrabo.

II.

Quarum omnium rerum gestarum longe vetustissima est atque excellentissima illa Arminii pugna, qua per omne aevum Germani merito sunt gloriati. Tres nempe legiones romanae, quibus Varus imperabat ab Arminio conspicuo et liberali germano juvene principeque Cheruscorum in magna Westphaliae nemora consilio adliciebantur, ibique sunt circumventae, easque egregium Arminii ingenium ac eximia rei militaris peritia universas ad unum usque interfecit, sive cepit, nullum pane,

qui luctuosum nuntium Romam perferret, incolumem dimittens. Quam celeberrimam Arminii herois pugnam diuturna tota graviaque cum Romanis Germanorum bella exceperunt. Innumeri fere duces artis bellandi peritissimi frustra Germaniam tentavere, fusique et prostrati refugere. Drusus quidem et Germanicus Cæsar aliquoties magnam Teutoniæ partem obtinentes mox tamen ad reditum coacti sunt, nihilo ferme e Collegio enitentes, et magni duces celebrati, quam quod salvum et incolumem ad Romani imperii fines exercitum reduxerint, quod raro ceteris contigit. Quis porro est, qui Civilis expeditiones ignoret, qui e parva Batavorum insula cum exigua manu egressus totum prope Belgium nonnullis exercitibus romanis profligatis sibi vindicans ingentem Romæ cuncta moderanti terrorem injecit. Omnes fere ceteras regiones gentesque insatiabilis sibi subjecerat Roma, solus et inconcussus stetit cum strenuo Partho Germanus, servitii jugum audacter respuens. Sola Germania per imperii romani

avum suis moribus, suis legibus, sua denique lingua avita est usa, superborum illorum vinculorum impatiens. Sed Germani non modo nunquam alienum jugum plane devicti passi sunt, sed ipsi postea romanum imperium conquassaverunt, fregerunt, dominos olim superbos mundi acerrimis pugnis fugatos subegerunt, et migrationibus illis ingentibus universam Europam in potestatem suam redegerunt, domicilia ubique quaerentes, suasque leges et mores constituentes. Germanus enim ille fuit Alaricus, qui Romam captam vastavit, Germanus ille Gensericus, qui Hispania et Africa expugnata, Italiam quum transierit, iterum Romam cepit atque combussit, Germani fuere Gothi, qui Hispania potiti sunt, Germani Hengistus et Horsa, qui Britanniam Normannis ereptam ipsi obtinuerunt, Germani denique Francones, qui Chlodovaeo rege Galliam invadentes expugnavere et occupavere, e quibus Carolus Martellus Sarazenorum primus devictor illustri gloria

floret, in quibus demum Carolus Magnus est natus omnium veterum Germanorum longe princeps cum ingenio, virtute, et peritia rei militaris, tum pietate erga populum, integritate et probitate morum, qui quum Longobardos devicisset, Saxones domuisset, et Sarazenorum insolentiam egregia expeditione fregisset, Romanorum imperatorum coronam in Germaniam contulit, eoque gentem nostram, quasi principem et dominatricem cæterorum populorum effecit.

Ut hisce rebus, quas leviter modo adtigi diutius imorari liceat, valde exoptaverim, sed temporis angustia impeditus, quo minus longius illis indulgeam jam ad postremam orationis partem progredior, qua Germaniæ, uti hodie est, præ aliis terris praestantiam eloqui libet.

III.

Neminem fore, credo, qui obstupescat, quum et nostris temporibus illustri fortitudine omnes pœne Europæ gentes populares nostros antecellere

contendo. Unusquisque, Germanos hodie manu strenuos esse dubitans, Fridericum intuetur, in gentem germanum heroem, et exercitum illius egregium, quem a Phalange Alexandri et legionibus Cæsaris superatum esse inficias eo. Indytus enim hicce et prope divinus heros, quum solium admodum juvenis vix occupasset, nullam plane injuriam passurus, patresque læsos ulturus militem rei militaris imperitum, et magna ex parte tumultuarium adversus veteranos statim educit castris proeliisque tunc temporis maxime assuetos. Nunquam vero acie victus, quum e sex acerrimis pugnis superior discessisset, duobus cruentis bellis peractis, Silesiam sibi vindicavit, ex omnibus Austriæ provinciis pulcherrimam atque uberrimam. Mox vero, per decennium, quum heros a victoriis vix requievisset, et gentium suarum saluti augendæ decoram navasset operam, cunctos ferme dominatores populorum, obegregium ingenium et gloriam, quam præclaris assecutus fuerat factis, uti assolet, viro indyto

invidentes, interribile foedus herois perniciem spectans Austria coëgit. Sed non modo centum et quinquaginta millibus militum optimas universa prope Europae copias Fridericus sustinuit, sed potius ubicunque locorum cum exercitu versans, circumspiciens, fulminis instar a magna manu Jovis vibrati circumvolans, hostes undecunque invadentes irruens, illustrissimis, quas unquam mortales conspexere pugnis ad internecionem usque fugans, terris suis arcens, et saepius illorum pinguissimas ~~et~~ provincias obtinens, non prius, quam cunctis inimicis depressis, destitit, et denique, quum ex innumeris fere proeliis cruentissimis victoriam reportasset, et omnium mortalium pulcherrimo lauro ornatus esset, honestam, decoram modestamque pacem iniit. Qui hac egregia virtute Fridericum Germanum Graecos Romanosque aequasse, imo vero antecessisse neget, veram Germaniae sobolem equidem plane non agnoverim.

Dein quoque inter ceteras nationes ad quaeque

perferenda vi opibusq; maxime Germania vigere mihi videtur, quod tribus modo collustrare exemplis sufficiat. Nullam primum aliam gentem tot splendidissimas et magna ex parte luxuriosissimas aulas principum sustentare, tantam nobilitatem, divitias a populo sumentem, tantum denique monachorum gregem pingui otio gaudentem et nihil utique ad commune bonum conferentem, alere, tantosq; exercitus ferre posse, quo minus plane exhauriretur, equidem credo, quum nostris diebus nationem opulentam validamq; unius aulæ oneri prope succumbentem conspeximus. Multo vero hisce rebus lucidius, in quantum Germaniæ opes valeant, exemplum magna illa et continua bella praebent, quibus jam dudum patria vexatur. Ecquis, quæso, historiæ haud satis peritus, tricennale, istudque de successu in regno Hispanico conflatum bellum, et septennalis certaminis furorem in Germaniam sævisse ante decennium suspicari potuerit? Quin etiam, ecquis alienigena, cum maxime in regiones nostras perveniens, et novissimæ bellicæ calamitatis plane ignarus, duos mo-

do ante annos externum militem cuncta vastasse, rapinæ studio inflamatum omnia diripuisse, et sanctissima quæque deterrima petulantia foedasse ac pervertisse, quis, quæso, hæc enarrantibus credat.

Sed multo illustrissime liberalium quarumcumque scientiarum cultu et doctrinæ cujuslibet gravis utilisque studio gentibus præstare, quin, ut ita dicam, prævolare Germaniam, omnibus compertum esse opinor. Diva enim Calliope, ut a liberalissima omnium arte exordiar, jucundissimam et dulcissimam sedem sibi Teutoniam elegit, complures quippe germanos poëtas sinui suo benigno adhærentes fovisse et nutrivisse, ceterumqꝫ istud ingenium et verum decori sensum, quem Græcis longe omnes superantibus indiderat, illis inspirasse videtur. Nullus sane populus tam egregiis, divinosqꝫ Græcos tam prope accedentibus gloriatur poëtis, quam Germani illi habentur, Klopstockius, atque Wielandius, Schillerusqꝫ. Nec graviores et seriæ Germaniam perosæ fugiunt Musæ, sed lætæ nobis intersunt, libenter nobiscum

versantur, et beata dona copiosissime nobis largi-
undo Germanos ante omnes nationes illustrant.
Numquam enim inter peregrinas gentes nasceban-
tur Philosophi ac Mathematici, Germanis illis
Wolfio et Leibnizio, Federo ac Herdero, ~~Eulero~~ Kantioque
Kaestneroque et innumeris aliis præclariores; nul-
lus denique populus religione gaudet tam pura
vera et rationi sanæ tam consentanea, quam
nostram Theologiam fecere Semlerus, Spaldingius,
Griesbachiusque. — De hisce rebus cujuscunque
Germani animum hilarem et patriæ amantissi-
mum reddentibus, ut diutius disserere possim,
suavissimis in votis habeo, sed jam diu de Germa-
niæ præstantia loquutus, satisque dilucide expri-
mere et pulcre depingere posse desperans, jam
ad orationis finem procedo.

Exultante animo patriæ excellentiam intelli-
gentes caram atque dilectam habeamus, cunctis
viribus, ut salutem in eximius augeamus, semper
annitentes, omne studium in illius commodum
sedulo convertentes. Universæ reipublicæ omnia
nostra vel dilectissima libenter dicemus, singu-

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

lorum felicitatem, quod reipublicae ingenti est emolumento, promoveamus. Inviolabile patriae nomen habentes peregrinis stultitiis ineptiisque minime dedecoremus. Sacrosanctas priscorum ~~avorum~~ avorum manes veneremur, dignissimique ut illis evadamus, operam summam adhibentes integritati et probitati, imperterrito animo et virtuti illorum nostri temporis humanitatem mitesque mores adponamus.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg